J.-W. Lelièvre

L. S.

Ne pagina hic vacua superiit, en ex Codice MSto Turcico

GENEALOGIAM AHMEDIS III,

hodierni Imperatoris Turcici, ab Adamo deductam.

Adam.
Seth.
Enos.
Cainan.
Mahaleel.
Jared.
Idris.
Methusalach.
Lamech.
Noach.
Japhet.
Boulzjas.
Matzjin.
Tzjin.
Goui.
Ba Timour.
Courlou.
Carachoua.
Soleiman.
Cara Augelan.
Coumasch.
Omoudi.
Baltzjik.
Carazjar.
Cour Tolmisch.
Tzjarbouga.
Sounizj.
Togrol.
Ba Soub.
Chomour Mir.
Sounisch.
Çani.
Bash Bouga.
Jemak.
Kerbouga.
Komri.
Tourozj.
Peketmour.
Comar.
Artouk.
Couzj bek.
Ai Tougmis.
Togrol.
Ba bek.
Jelwazj.
Basoub.
Cara.
Ogouz.
Kouk Alp.
Basouk.
Toukotmour.
Sougar.
Baki Aga.
Baisingir.
Kintzoun.
Tourgar.
Iktelou.
Bajendir.
Cazin Bouga.
Kyalep.
Soleiman.
Ortogrol.
Othman I.
Ourchan.
Morad I.
Bajazeth I.
Mohammed I.
Morad II.
Mohammed II.
Bajazeth II.
Selim I.
Soleiman.
Selim II.
Morad III.
Mohammed III.
Ahmed I.
Ibrahim.
Mohammed IV.
Ahmed III.

FINIS.

DESIDERII PACII
STRICTURÆ BREVES

In Clar.

D. FRIDERICI SPANHEMII FIL.

EPISTOLAM

De

NOVISSIMIS

Circa res Sacras

In

BELGIO DISSIDIIS.



M. DC. LXXVI.

DESIDERII PACII STRICTURÆ BREVES IN CL. D. FRIDERICI SPANHEMII. FIL. EPISTOLAM Ad AMICUM.



On ita pridem in lucem prodiit Celeberrimi D. *Spanhemii Epistola de novissimis circa res sacras in Belgio dissidiis*, qua visa atque perlecta

Obstupui steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit.

Stupebam enim in innocentes & nihil tale meritos, omne jactari calumniarum genus, idque eo artificio, eaque calliditate, ut justus, ne incautos & rerum nostrarum ignaros seduceret, metus quem-

 libet

libet bonum incesserit. Ei nihil reponere, nec calumniandi quibus peritissimè utitur artes detegere, tutissimum forte foret. Terrent enim me omninò aliorum vestigia. & abstinerem certè ab hoc proposito, nisi mei officii putarem famam honestorum & pacis amantium virorum quam subdole admodum in illa epistola læsam animadvertebam, quantum in me erat, ab illius Theologi calumniis immunem præstare. Provinciam suscepi, fateor, arduam. Sic jubet ipsa ratio, jubet causæ quam propugno veritas; quæ sola eam in me fiduciam procreat, ut ausim quid de illa Epistola sentiam, palam facere. quod ipsum brevi nec compto vel ad ostentationem declamatoriam composito, sed simplici & vulgari sermone expediam.

Postquam populi rumore intellexeramus parari à Cl. Spanhemio fulmen vibrandum in capita sic dictorum Novatorum, arrectis auribus adstitimus attentique ora tenuimus, observaturi quid tantum oraculum esset responsurum, & quibus tonitruis turres disjecturum. verùm postquam expecta-

ctavimus sic satis, accidit nobis quod illis qui parturientis montis acciti clamoribus convenerant spectatum undique, frustratamque expectationem suam mirabantur. quippe, ut ait Poëta,

Mons parturibat gemitus immanes ciens,
Eratque in terris maxima exspectatio
Quid ille pareret: at ille murem peperit.

Neque enim Cl. Spanhemius extricabat illa quæ minabatur, quique expectabamus & eruditam & modestam paginam, nihil tale impetravimus, sed flosculos vocum, sed verborum mare, rerum autem, ut dicebat ille, guttas;

Projicit ampullas & sesquipedalia verba.

de cætero, si non in omnibus saltem maximam & præcipuam partem quod attinet, est ejus historia

Pergula pictoris, veri nihil, omnia ficta.

Oratoriam. tamen ejus, & undique sparsos flores, quis non miretur? cogitabam

Quam lepidè lexeis compostæ! ut tesserulæ omnes
Arte, pavimento, atque emblemate vermiculato!

ſed aliud eſt Oratorem, aliud Hiſtoricum, aliud Theologum agere. Rhetores priſcæ elegantiæ oportet eſſe ſtudioſiores; Hiſtoria res geſtas; Theologia demonſtrationes ex verbo Dei, & ſimplicitatem exigunt. Paulus non venit καθ' ὑπεροχὴν λόγου ἢ σοφίας, *ſecundum excellentiam ſermonis aut ſapientiæ*, 1 Cor. 2: 1. non uſus eſt πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, *doctis humanæ ſapientiæ verbis*, ſed ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, *demonſtratione Spiritus & potentiæ.* Talem ſe hoc in tractatu minimè præſtat Spanhemius, cujus omnia comicam potius ſpirant venam; ſoccos atque cothurnos redolent, quam Euangelicam ſimplicitatem, Theologo nihilominus ut opinor decoram. Verbis aculeatis, dicteriis, ſcommatibusque quæ ipſi atra bilis ſuggeſſit referta eſt omnis ipſius pagina, illiſque inſtructa ſpiculis, quæ iiſdem verbis, facili opera, & ſummo quidem jure in ipſum retorquebunt illi, quos odioſè ubique perſtringit, & contra quos Claſſicum canit. Quæ autem talia ſunt, ut eadem opera, qua dicuntur, retorqueri

queant

queant in auctores, nihil solidi continere indubium est, atque eo loco suo merito haberi quo anserum strepitus solent, evidens omnium suffragiis judicabitur.

Vult videri dissidiorum osor, eorumque tranquillus spectator D. Spanhemius, extra partes constitutus, procul omni affectu, amantissimus pacis, qui sine ulla sua culpa ab una dissidentium parte sit passus martyria, quem nemo accusaverit merito suo, cui indies quasi cum belluis sit luctandum. Mirantur certè & stupent docti Novatores, seque in alium propemodum orbem delatos putant. Tam diu nobiscum fuerit Spanhemius, tot ipsis fuerint exedendæ contumeliæ & injuriæ, quas intriverat ille, tot pressi persecutionibus ignorare necesse habeant quo in ipsos sit affectu Dictator iile! rem miram certè & incredibilem. Sed rem ipsam putemus.

In ipso limine se cum quibusdam consociat quos *Fratrum* nomine dignatur, & in omni scripto ad eorum causam se adjungit. Hos ab aliis distinguit, contra quos ingemiscit & quiritatur, quibus novatu-

riendi ſtudium paſſim tribuit. Aſt, an hoc eſt *partes nec facere nec ſequi?* an non ita in os contradicit Auſtralis Hollandiæ Synodis Leerdamenſi & Dordracenæ, Annis poſt natum Salvatorem CIƆ IƆ CLXXV. & CIƆ IƆ CLXXVI. habitis? Enimverò in nupera Dordracena Synodo cautum eſt, ne cuiquam liceat Symmyſtas, formulis conſenſus adhærentes, traducere tamquam *Novatores*, idque ne fieret *publice aut privatim, nec in concionibus nec in Scriptis, nec in Catechiſationibus, nec in precibus vel gratiarum actionibus, nec directè vel indirectè*, ſpeciali articulo vetitum eſt. Poſtulabant Fratrum quidam in Actis huic articulo adderetut vocula **weder-zijds** / *ab utraque parte.* Morem ipſis gerebant, qui tamen hanc vocem omiſſam maluiſſent. Sequenti mane Illuſtr. Ordinum Deputatus ad Synodum, D. Hudde Synodum monebat, voculam hanc *partes* hinc inde ponere, proindeque expungendam eſſe omninò ab iis, qui non tantum (ut ex prælectis Claſſium votis liquebat) à Schiſmate, ſed ab omni ejus ſpecie erant alieniſſimi.

mi. In hanc Nob D. Deputati ſententiam ad unum omnes, & Correſpondentes, & Synodi Deputati, & Fratres Synodici, illique ipſi qui additam hanc vocem anteà voluerant, unanimi conſenſu, iverunt, atque etiam pro hac concordia grates Deo ſolennes à Præſide Synodi ſunt actæ. Hiſtoriam ſcilicet rerum geſtarum procul omni affectu, qua par eſt fide ſe Scripturum pollicetur Amico ſuo Cl. D. Spanhemius. Aſt, quare hujus ut & Leerdamenſis Synodi acta intacta reliquit diſſimulavitque noſter Hiſtoricus? quare Fratres à Fratribus contra manifeſtum Synodi decretum diſtinguit? niſi forte putaverit ſic ſchiſmatis extruendum ſibi eſſe fundamentum, ad quod procurandum totam hanc comparatam eſſe epiſtolam facile qui non admodum obeſæ ſunt naris, videant & animadvertant. Et tamen inter iſtos fratres nemo referri queat eorum, qui Synodis Hollandiæ Auſtralis Leerdamenſi & Dordracenæ nuperrimè interfuere, quorum omnium pacifica fuerunt vota, tolerantiam commendantes ſententiæ, & pro

tranquillitate Ecclesiastica consilia. Ne inter hos recensere liceat plurimos infinitosque alios pacem cum aliis in quæstionibus non fundamentalibus amantes memores veteris illius ac tralatitiæ sententiæ,

Dissentire duos etiam de rebus iisdem
Incolumi licuit semper amicitia.

Solummodo ergo pro Fratribus hisce Spanhemio dilectis reputandi veniunt illi qui Hagarem expulsam volunt, qui consiliorum de Fratribus exturbandis & deponendis sunt participes. Egregium verò tantis malis Medicum, certè si vulner oleum applicare neglexerit, minimum ic affundet camino. Ita iste verbis nihil quam pacem crepat, quum re ipsa & factis pronus ad pugnas tempestates cieat, bella alat atque adornet, & ad arma viros vocet. Sed de his latius in sequentibus.

Atque ea quidem omnia quæ de ipso verè dici poterant, de iis quos Adversarios elegerat pronuntiavit pro ipsius sc eruditione & modestia Illos itaque Theologos, à quibus suos Fratres distinguit passim tamquam αὐθάδεις, ἀτόπους καὶ πονηροὺς

ἀνθρώ

ἀνθρώπους, contentiosos, morosos, implacabiles, indoctos, ὑπερηφάνους, conjurationis reos, Auctoritatis publicæ contemptores, Doctorum virorum æquè ac piorum Osores traducit, atque in eo totus est ut hæc de ipsis Lectori persuadeat. At quo jnre? quibus argumentis? lege, perpende totam epistolam, nullam reperies probationem, quam quæ resolvitur in Auctoritatem narrantis, ac si credenda illa forent omnia quia αὐτὸς ἔφα, *ipse dixit* Dictator Academiarum & Ecclesiarum totius Belgii, alter Papa ex cathedra pronuntians & docens infallibiliter.

Verùm fallor, argumentatur & alicubi, quando scilicet Clarissimi Wittichii *Collegæ* in speciem *honorandi* sententiam refert p. 99. &c. & 166. concluditque ipsius dicta occasionem suppeditasse decreto AA. DD. Curatorum, XVI. Januarii. Sed potuisset & hoc labore supersedere, quum jam dudum à plurimis maximèque à Magno D. Heydano demonstratum fuerit in alia omnia torqueri Reverendi Wittichii voces, quam debuerant, neque enim hanc

hanc esse vel unquam fuisse Celeberrimi viri sententiam, humanam mentem ad calculos claræ & distinctæ perceptionis revocare aptam natam esse divinitus revelata mysteria, atque adeo res revelatas clare & distinctè posse cognoscere, sed hoc velle Theologum verè pacificum, revelationem nos posse clarè & distinctè percipere, adeoque omni errandi periculo liberari quando fide apprehendimus illa quæ clarè & distinctè, collatis ponderatisque undique petitis argumentis, percipimus à Deo nobis revelata esse. Quum autem ad istius generis minutias responsum sit sæpius, neque enim quicquam in integro hoc scripto, in quo tantam pompam adhibuit, reperias quod majoris sit ponderis, prout demonstrare facile erit illis quos istam camarinam movere penitiùs non pigebit, satius fratrum famæ pepercisset Spanhemius, neque bis imò sæpius coctam recoctamque hanc crambem, novis verborum phaleris donatam amictamque fastidienti literato orbi denuò propinasset.

At

At quos viros ab hisce suis Fratribus disjungit? totos certè paci deditos addictosque, nulli graves, ita à Fratribus quantum ad ea quæ fundamentum non tangunt quandoque dissentientes, ut in disjunctione sententiæ conjuncti tamen amicitia manere studeant optentque, qui cum se extorta responsione atque inevitabili apologiâ contra inimicorum morsus falsasque delationes & calumnias munire coguntur, lento pede properarunt semper, atque inviti, ut famæ suæ alioquin periclitanti consulerent, adacti sunt; neque in arenam pertrahi se passi fuissent, nisi minimè fraternos impetus, nemini negato hoc præsidio, propulsare necessarium omninò duxissent. qui certè si per aliquos ipsis non liceat ita gloriari, se dolorem, atque inimicitias suas Ecclesiæ & Reipub. literariæ concessisse, quod magnorum virorum & persapientum esse videtur, hoc tamen jurè meritoque possunt uti, quod non tam ad laudem adipiscendam, quam ad vitandam vituperationem valet, nunquam se ullo scripto conten-

tio-

tiosos fuisse quod non extorserint ipsis etiam nolentibus famæ & existimation ipsorum insidiantes papaturientesque qui dam Fratres. Ad vos provoco, quibus Ore scriptisve DD. Heydanus, Coccejus Wittichius, Burmannus, Cartesius, Allinga, cæterique Professores Pastoresve quos procul omni ipsorum culpâ in hac Epistola atro carbone notat, innotuerunt, qualescunque estis, Tros Rutulusve, Batavi vel Exteri, provoco ad vos, an unquam viros istos eximios experti sitis tales, quales hic partim apertè partim tectè traducuntur? Testabitur Belgium, testabitur omnis Literatus Orbis non minus pacificam Theologiam, solidam Philosophiam, egregiam Literaturam, modestiam, affabilitatem, comitatem, facilitatem, beneficentiam virorum eruditissimorum, quam calumnias & machinationes quibus petuntur premunturque à Magistris quibusdam magis rhetoricantibus quam Prophetantibus aut Philosophantibus. Quorsum autem istiusmodi ad invidiam compositis logis & sesquipedalibus

verbis

verbis ipſorum acta in hunc modum depinguntur? niſi ut inter turbones habeantur, indignationem Magiſtratuum promeruiſſe & promereri cenſeantur, odium plebis ipſis concilietur, & animi Theologorum exterorum contra Innocuos irritentur? quæ omnia Deus Opt. Max. benignè avertit hactenus, avertat porro?

Prudentis ſilentii non pænitet Spanhomium, ſiluit ergo uſque in hunc diem. Egregium verò ſilentium, feſtivam taciturnitatem! quid autem ipſi eſt ſiluiſſe? fortè, quod Hulſii multum dilecti fraterculi inſtar materias controverſas non tractaverit. hoc ſi dicere voluerit, verum quodammodo dixiſſe eum fatebor, neque id unquam Spanhemium facturum, quæ ejus eſt prudentia, omninò confido. Aſt, ſi per ipſius ad oſtentationem jactatum ſilentium, innuere ipſi animus ſit, nunquam ſe Spanhemium hiſce jurgiis atque controverſiis immiſcuiſſe, fallit utique Amicum, neque quod res eſt dicit. Hæc quippe extant internecini odii Spanhemiani ſpecimina & crudeliſſimæ perſecutionis argumenta,

ut

ut frustra quisquam dubitaverit an Span hemius turbarum rixarumve in Lugdunen si Batava Academia quatuor abhinc anni excitatarum sit primus auctor & per clan destinas artes perpetuus perniciosi illiu ignis fotor. Quem enim ipsus sopitun suscitaverat, per alios nutrire maluit, u gloria sc. silentii maneret ipsi integra.

Quis enim primus Anno post Christum natum CIↃ IↃ CLXXIII. Corollariis sui: involavit in Cartesianos tamquam impios quis in Coccejum, quis in Wittichium tamquam Weigelianos? an non Spanhemius in iis quæ subnexa fuere disputation duodecimæ *ad loca illustriora Nov. Test. cum hodiernis Adversariis controversa.* Audiantur ipsius voces, & judicet Lector.

I. *Dubitare quocunque modo de Dei existentiâ, nec pium est, nec honestum.* neque ivit inficias Spanhemius hic à se notatum Cartesium, omnesquè norunt hanc sententiam à Spanhemio ipsiusque Fratribus exprobatam sæpissimè Cartesianis fuisse quî poterat igitur hanc sententiam impietatis accusare, nec censeri mordere fratres

tres? tantine ergò erat contra Cartesium paucula hæc verba, à Magno Philosopho & discipulis explicata millies optimaque interpretatione vindicata, in chartas retulisse, ut pacis nulla fuerit habenda ratio, minimèque cavendum ne Fratribus Cartesianis offendiculum præposterâ, detortâ atque injuriosâ scriptione poneretur? potuisset utique D. Spanhemius id non agendo omnem offensionem vitasse. Nisi fortè Fratrum quorundam, quos honoris pacisque causa hac vice indictos præteribo, instigationibus excitatus, illustri documento probare voluerit, quid pro communi ipsorum causa auderet. Acta refero, nec fabulas scribo, sed talia quæ nobis per ipsius propinquos innotuêre.

Pergit infelix Disputator. II. *Angelos non indigere aliquo* Ubi *in quo existant, & neque hic esse neque illic, male statuit pridem Weigelius.* quibus certè verbis Cl. Wittichium notatum atque Weigelianis adscriptum, non dubitabit, qui apprimè edoctus novit illam à Fratribus Spanhemii D. Wittichio sententiam imputatam.

Aſt, cave credas Lector, ſequentibus Corollariis ſtigma inuri Coccejo, atque etiam hunc minimè contemnendum Theologum à Magno hoc Cenſore in grege Weigelianorum annumerari. *judicat* enim fortè *honorifice de Celeberrimo Coccejo* his verbis, noſtra verò hæc eſt ſtupiditas ut id non capiamus. III. *Malè*, inquit, *cùm idem Weigelius, tum alii, negarunt Patribus Veteris Teſtamenti Spiritum Adoptionis, & Servitutis tantummodò illum adſcripſerunt.* Neque enim quicquam horum Coccejo fuit imputatum unquam ſcilicet. Hæc certè ſi inſpiciantur penitiùs, & conſideretur attentius quid mentita illa ἀπόδειξις belgica (**de nodige aenwijsinge** &c.) quid in ſuâ Mantiſſa argumentatione vah quàm futili à Coccejo doctum ſcriptumve fruſtrà adſtruere conatus fuerit Hulſius, Spanhemio profectò Frater tantùm non gemellus, nullo fermè labore & procul omni errandi periculo judicabit omnis, quo jure quâve injuria Spanhemius ſe jactet *nulli Collegarum injurium, ſcriptis nullis contentioſum, nullo judicio exactorem rigidum, nulla*

Hæ-

Hæreſeos accuſatione Fratrum gravem, nec in theatrum illud litigioſum pertrahi ſe unquam paſſum. Niſi forte hoc profiteri velit, ſe bello quam paci proniorem, ſuâ ſponte nulla adhibita aliorum vi, nimio revera fervore in pugnam ruiſſe & in alios cæco impetu incurriſſe, & quum adverſarium, ſaltem ex Theologis inveniret nullum, alios in arenam pertraxiſſe, qui exoſos Fratres, ore, ſcriptis, clamoribus, jurgiis omnique injuriarum genere laceſſerent donec ad manus ventum eſſet. Ita huic & Fratribus ipſius

Bella geri placuit, nullos habitura triumphos,

& in propria viſcera ſævire religio non fuit.

Inſpiciantur & quæ corollaria illa quæ ſupra citavi ſequuntur, & palam fiet, illa omnia oppoſita fuiſſe ſententiæ quæ affingitur illis, quos à Fratribus ſuis disjunctos vult.

Hæc ſunt verba. IV. *Chriſtus fuit plenarius Expromiſſor, ſeu Interventor, adeoque Redemptor ſub V. T. à Deo creditore noſtro*

tum datus tum acceptatus. V. *Expromissionis ejus is fuit effectus, etiam ante actualem solutionem, sed tamen certam & necessariam, ut liberati fuerint peccatores credentes sub V. Test.*

VI. *Hæc liberatio dici potest tum* πάρεσις, *seu prætermissio, vel dimissio primi debitoris; tum* ἄφεσις, *seu remissio debiti, ob translationem ejus in alium; tum* ἄνεσις *seu relaxatio; tum* ἀθώωσις *seu liberatio, absolutio; tum acceptilatio, non imputatio, non punitio &c. promiscuo usu vocum in & extra Scripturam sacram.*

VII. *Non intercedit illi liberationi vel remissioni*, conscientia peccatorum, *de quâ Paulus ad Hebr.* 10: 2. *nec* commemoratio eorundem *ad Hebr.* 10: 3. *nec chirographum nondum abolitum,* τὸ καθ᾽ ἡμῶν, *ad Coloss.* 11: 14. *quibus sanè respexit Paulus ad ipsam solutionem, seu expiationem adhuc actu præstandam ab Expromissore, & quoque ad usum oblationum sub V. T. earumque* ἀσθένειαν καὶ ἀδυναμίαν.

VIII. *Indubium tamen est majorem jam esse sub N. T. (post præstitam solutionem, &*

abo-

abolitum chirographum, adeoque poſt perem-ptam ſubſtantiam debiti & poſt diſcuſſas umbras) παῤῥησίαν, χαρὰν, καύχησιν.

Defenſa ſunt illa Corollaria ad diem 10. Junii. Parvo poſt tempore primo Corollario de *Dubitatione* agenti, aliud oppoſuit Cl. D. Cranen, tunc temporis Philoſophiæ Profeſſor atque Illuſtr. Ord. Hollandiæ Collegii Subregens, quo injuriam à Spanhemio Carteſio ipſiuſque Diſcipulis factam repelleret, aculeatis fateor dictis. Erat tunc Academiæ Rector Spanhemius. propria auctoritate prohibet illam defendi diſputationem, & quod omni caret exemplo, factumque contra Leges Academiæ, affixum titulum avelli curat. Hinc contentio inter Ipſum & D. Cranen, qui juſſis parere recuſat atque Diſputationem invito Spanhemio defendit. At quæ non hinc contra D. Cranen querelæ & lamentationes in ſinum Ampliſſ. DD. Curatorum effuſæ, quibus non vocibus flebilibus ſpretam auctoritatem, illataſque ut opinabatur injurias vindicandas petiit, obtinuitque!

Rogaverit jam quiſquam , qua occaſione aliquo poſt tempore D. Cranen Collegium Ampliſſ. DD. Ordinum Hollandiæ Profeſſionemque Philoſophicam deſerere juſſus ſit , non mediocri cum jacturâ ſalarii ad Profeſſionem Medicam vocatus ? hoc profecto reſponſi feret. occaſione delationis perpetuæ à Spanhemio ejuſque aſſeclis id factum , neſcit nemo.

Quis quicquid adverſi ipſi contingeret , quis factas ſibi injurias , quis illatas ſibi contumelias , à Studioſis aliiſque quorum irritaverat iras , quorum omnium animos inhumana crudelique auſteritate , indigna contemptione ac deſpicientia , impotentique dominatu quem non tantum in omnis generis ſtudioſos ſed & in Collegas exercebat ſuperbiſſimè , à ſe alienaverat , imputavit Collegis , atque hoc nomine apud Ampliſſ. DD. Curatores eos accuſavit ? an non Spanhemius ?

Quis Epiſtolam ad Hebræos publicè prælecturus applicatamque daturus , id ferè unicè egit , ut Commentarium Cl. Cocceji refutatum daret , nec ſincerâ atque

que Theologo dignâ ſide Cl. Viri ſententiam ſemper referens? Quis in Collegiis ita Locos communes Theologicos tractavit, ut quæ hodiè finguntur eſſe controverſa, ſola fermè attigerit, cæteris tantùm non neglectis? Utique Spanhemius, ſi perplurimorum Auditorum dictis narratiſque fidem adhibere liceat.

Quis præſentibus Collegis, quum ob excitatos in Diſputatione D. de Vries tumultus, ut criminis cauſæ delati eſſent, & à DD. Curatoribus vocati ut ſe defenderent, quaſi ipſius cauſa ageretur, dixit ſe amplius docere non poſſe, ſi illa Philoſophia, Carteſianam innuens, traderetur ulteriùs? Nonne is fuit D. Spanhemius? Quâ fronte igitur querulum hoc caput profiteatur ſe *nulli Collegarum injurium*?

Sub finem Anni CIↃ IↃ CLXXIV. D. Spanhemius Diſputationi nî fallor nonæ *de Statu & Luctâ Hominis Regeniti*, hæc corollaria annexa dederat,

I. *Differentia inter œconomiam Veteris & illam N. T. conſiſtit potiſſimum in externa adminiſtratione Fœderis gratiæ,*

 quæ

quæ administratio illic rigidior, operosior, obscurior, hic suavior, facilior clarior, illic magis restricta & limitata, hic verò amplior magisque extensa.

II. *Neutiquam verò discrepantia illa quærenda in donis salutiferis, justificatione, adoptione, sanctificatione, charitate, inscriptione legis in cordibus, pace cum Deo, tranquillitate conscientiæ, quæ charismata utrobique eadem.*

III. *Nec aliter fieri potuit, quia utrobique per fidem conscientiis fuit applicatum unum idemque meritum efficacissimum, pretium sc. sanguinis Filii Dei, sive jam in carne exhibiti sive exhibendi.*

Ex hisce profectò Corollariis eorumque comparatione cum prioribus videre erat; non constare sibi D. Spanhemium atque in pejus eum proficere; siquidem priori disputatione agnovit sub N. Test. majorem esse παῤῥησίαν, χαρὰν, καύχησιν, atque in posteriori asseruit *discrepantiam inter Oeconomiam Veteris & illam N. Test. non esse quærendam in donis salutiferis, justificatione, adoptione, sanctificatione, charitate, inscri-*

ptione

ptione legis in cordibus, pace cum Deo, tranquillitate conſcientiæ, quæ chariſmata utrobique eadem. Verùm, hæc tranſeant cum cæteris erroribus, fortè è re ſua putavit ſententiam mutare, quo liberius poſſet fratribus contradicere. Nactus illâ horâ erat opponentem D. Cornelium vander Linden, Medicinæ Doctorem & Miniſterii Candidatum, imparatum tamen nec quicquam iſtiuſmodi meditatum atque in ipſo Auditorio caſu in hæc corollaria incidentem. Lis tunc brevis erat. inſtabat enim hora. Tempore interclusus Opponens, quo minus quæ in promptu ipſi erant argumenta proferret, deſtitit. Urgebat D. Spanhemius, ſibi ſatisfactum diceret. recuſavit alter, nec eo adduci ſe paſſus eſt. Provocavit eum Spanhemius, ut proxima diſputatione ſe ſiſteret, curaturus eadem reponerentur argumenta. Fidem dedit Opponens. Stetit promiſſis D. Spanhemius, nec partibus ſuis defuit D. vander Linden, non parum indignans quod poſt primam oppoſitionem in *Fabula Acceptilationis* nullo ſuo merito à D. Span-

 hemio,

hemio, (qui jam antea Magnificus Rector, eum omni injuria, gradum Doctoratus petentem, non ſine ignominia atque infamia prohibita diſputationis Medicæ, quam conſcripſerat Candidatus nimis ex ſententia Carteſii, quaſi plena eſſet dubitationum, defenſione, affecerat,) livido dente ſe morſum comperiret. Quid fit? deſcendunt in certamen uterque ſeptimo decimo Kal. Febr. Anni CIↃ IↃ CLXXV. congrediuntur, ad incitas redigitur Cl. Spanhemius non ſemel, dicta revocat atque indicta aſſerit, urget Opponens dictaque repetit; Calumniatorem eum dicit Spanhemius, Opponens convitium reddit optimæque fidei quotquot aderant Auditores Spectatoreſque teſtes citat, Spanhemius verborum atque argutiarum fuliginem ob oculos audientium jacit, & tandem auditâ horâ ſeparantur. Quæ certè ita geſta eſſe omnia, nemo qui à præjudiciis liber diſputationi interfuit, negabit. Unde facile eſt judicare quàm verè D. Spanhemius aſſerat ſe *nunquam in iſtud Theatrum litigioſum pertrahi ſe paſſum*; qui provocavit prior

virum,

virum, à quo quid meritus eſſet noverat optimè, nec provocavit tantùm, ſed & maledictis laceſſivit prior, atque irritavit denuò. Quis autem Diſputatione finitâ contra D. vander Linden, imploravit atque impetravit Ampliſſ. D D. Curatorum opem, ac ſi non argumentis ſed injuriis & convitiis ab eo petitus fuiſſet? nec tantum contra hunc, ſed & contra D. Bontekoe Medicinæ itidem Doctorem, quaſi hic priorem continuis inſtigationibus juviſſet, quamvis D. vander Linden negaret id ullo modo factum, aſſereretque non obſervatum ſibi D. Bontekoe initio Diſputationis fuiſſe vicinum, nec ullum ipſius verbum aures ſuas percuſſiſſe jurare paratus eſſet. Aſt, factis jam ſæpiùs probaverat quid poſſet contra Peripateticos, jamque ſentiendum ipſi erat, quantum referret iram Spanhemii ſubiiſſe. Verùm, an non hæc omnia ad Ampliſſ. D D. Curatorum aures retulit querula vox Spanhemii?

Quis Concionatores, viam pacis explicantes, ægerrimè atque ἀτάκτως ad ſcandalum uſque, audivit, & poſtea tanquam

Turbo-

Turbones paſſim denigrare atque infamare non eſt veritus ? an non Spanhemius ?

Quis publicè in Academia Venerando D. Heydano præſenti in Diſputatione Medica Inaugurali D. Hermanni Bruynſteen, & amicè atque familiariter cum ipſo de objectione quadam Opponentis ſecundum hypotheſes Carteſii loquenti, iracundâ atque altâ ſatis voce, lites movit *de Philoſophia Carteſiana à cancellis Theologicis ablegãnda*, & quum indomita ipſius verba vir magnus frangere conaretur, mendacium quod res erat dicenti Seni, ruſticâ voce exprobravit ? an non pro ſuâ modeſtiâ Spanhemius ?

Quis contradictionem ferre neſcius apud Curatores & Ampliſſ. Ordines Friſiæ contra Bekkerum, apud Antiſtitem Helvetium nuper contra D. Switſerum flebiles anileſque queſtus fudit ? an non Spanhemius ?

Quis in concionibus Gallicis ; quæ profectò non recitantur gratis, tam Leydæ quam Hagæ Comitis contra Auctorem ſcripti de Lumine, Philoſophoſque mo-

dernos

dernos debacchatus eſt quam maximè impotenter atque contumelioſe? An non Spanhemius?

Quis ad interrogata D. Hulſii de ſententia magni Spanhemii Patris circa diſcrimen V. & N. T. ſatis acerbè in dictos Novatores invectus reſpondit per literas, ea procul dubio lege, ut epiſtola illa Theſibus extraordinariis D. Hulſii inſerta proſtaret publicè? an non D. Spanhemius?

Quis ex Cocceji ſcriptis, ex Wittichii Theologiâ Pacifica aliiſque laboribus peſſimè detorta verba excerpſit ſub finem Anni CIƆ IƆ CLXXV. interfuitque comitiis eorum, ſi non præfuit, qui Catalogos hæreſeon contra ſymmiſtas texuere, exhibendos Proceribus iiſque qui Reipub. gubernacula tenent, impertiendos *Fratribus ſuis* & cum iis communicandos in quorum & hodiè ſunt manibus? qui certè ſi non ſola, ſaltem primaria cauſa fuerunt Decreti a. d. XVI. Januarii Anni CIƆ IƆ CLXXVI. promulgati? Utique Spanhemius.

Quis Leidâ Hagam profecturus, in itinere poſeſſus eſt, ſe totum in eo eſſe, omnem-

omnemque lapidem movere, ut pellerentur novitates illæ? an non Spanhemius?

Hæc Lugduni in Batavis lippis & tonsoribus notissima sunt. Plura Deus novit & ipse conscius sibi est Spanhemius, atque dies forte docebit. Historias edere eorum erit, quos hæc pericopa propius tangit: nunc sufficiat ostendisse, minimè vera esse quæ Spanhemius de *suo non pœnitendo silentio* prædicat.

Ast, quid jam hisce omnibus reponet Spanhemius? negabit fortè quicquam horum esse factum confidens pios illos viros coram quibus omnia hæc acta sunt non facilè passuros se in partes vocari, potiusque publici testimonii invidiam quamdiu id fieri poterit, fugituros; quæ Fratrum persecutorum perpetuæ sunt artes. Verùm sic omnia & cordis penetralia lustrantem Deum non decipiet, si forte hominibus rerum ignaris imponet, & majorem faciet vim conscientiæ.

Porrò parallela simillimaque fingit dicta factaque exosorum Fratrum, Remonstrantiumque olim prætextus. Hoc enim

à pag.

à pag. 21. ad pag. 31. usque agit, vel nihil agit. Idque, ut hanc Lectorum animis tacitam insinuet conclusionem, simili modo cum his agendum, quo actum fuit cum Arminianis Remonstrantibus: removendos à Scholis & Cathedris Academicis, Ecclesiâ pellendam domoque ejiciendam hanc Hagarem, ut solus dominetur inter suos Fratres persecutores Dictator futurus perpetuus. Provocarunt Remonstrantes ad formulas Consensus, conquesti sunt de inquisitione & tyrannide & Magisterio quorundam in Belgio. Commendarunt tolerantiam in quæstionibus de V. articulus, urserunt libertatem prophetandi, profectum & multiplicationem cognitionis commendarunt &c. Idem autem dicunt atque agunt hodierni Theologi cum quibus Spanhemio & Fratribus ipsius res est. Quid inde! Ergo Remonstrantes sunt aut Remonstrantium hypothesi affiniores? λόγοι, ineptiæ. An quando duo dicunt idem, id semper revera est idem? Hoc utique artificio Unusquisque omnes obtestationes, prote-

sta-

ſtationes ſubſcriptioneſque Fratrum ſu ſpectas habere potis eſt ; nec erit, qu vir probus vel honeſtiorum quiſquam fi dem facere atque impetrare queat.

In eundem hunc modum παραλληλίζου coram componunt comparantque Papiſta aliique Calvinianos ut vocant Reforma tos & Turcas, Proteſtantes & veteri Eccleſiæ hæreticos. Remonſtrantes po tuerunt generalia quædam juris adferre quæ ſi ſimpliciter conſiderentur ſunt ve riſſima, perperam verò applicata veri ni hil dicunt. Quid an non datur in cogni tione profectus? an ſcientiæ multiplica tio non eſt promiſſa? an non eſt prophe tandum? an Mortalium quiſquam Magi ſter fidei eſſe queat? an autoritatem hu manam in judicio Eccleſiaſtico prævaler æquum eſt? nonne ὀρθόδοξος recteque d Deo atque ejus verbo ſentiens Theologu ſe iis opponere neceſſe habet, qui tyran nidem & nomen humanum in Eccleſian reducere omnibus viribus nituntur? vide hic generalia quædam juris, quæ uniuſcu juſque conſcientiæ quam maximè obvi

ſunt

ſunt, quæ licet à Remonſtrantibus falſò peſſimæ cauſæ fuerint prætenſa, nihilominus ab aliis oportunè admodum ſummoque cum jure allegari poſſunt. Tamdiu itaque nihil egerit Spanhemius, inſtar eorum qui ἀέρα δέρυσι, quam diu non probaverit invictis argumentis hæc effata ab exoſis Fratribus prætendi magis, quam rectè ipſorum cauſæ applicari.

Sed jugulandus venit Spanhemius ſuo ferro. Strinxit enim in proprium jugulum hunc gladium. Examinare igitur liceat in quibus hujus Fratrumque ejus perſecutorum acta cum Remonſtrantium geſtis conveniant. Arminiani anxiè ambierunt Operam favoremque Magiſtratus tam ſummi quam ſubalterni: idem agunt Spanhemius ejuſque Fratres. Arminiani *ſilentium* imponi Orthodoxis à Magiſtratu poſtularunt: idem petunt Spanhemius ejuſque Fratres. Arminiani provocarunt ad Antiquitatem & Veterum conſenſum; idem agunt D. Spanhemius ejuſque Fratres, Novitatis accuſantes ſymmyſtas. Arminiani Or-

 tho-

thodoxos tamquam Turbones, indoctos, eruditioni inimicos ſugillarunt: idem agit Spanhemius hoc in ſcripto. Arminiani volebant videri urgere praxin pietatis, vociferatique ſunt non laborandum de ſpinoſis controverſiis, quas logomachias vocabant, ſed de moribus emendandis multa jactabant: idem clamant Spanhemius atque ejus Fratres perſecutores. Arminiani pacis gratia ſcilicet, liberam obtulerunt miniſteriorum deſertionem: idem ſi non obtulerit, laudat minimum Spanhemius in hac eadem Epiſtola. Plura ſtudio omittimus, neque enim neceſſe eſt omnia talia corradere: ſufficiunt hæc pauca ad monendum Spanhemium, iſtius generis lenociniis imponi non poſſe oculatis.

Fortunas ſuas deplorat, de injuriis contumeliiſque ſibi illatis conqueritur, & tantùm non vulnera narrat. Ipſius vicem quis non doleat! Gaudet duplici Profeſſoratu, Theologiæ ſc. & Sacræ Hiſtoriæ: quadruplex accipit ſtipendium, quorum primum ei confertur pro Theologiæ, ſecundum pro S. Hiſtoriæ Profeſſoratu, ter-

tium

tium pro munere Bibliothecarii, quartum pro concionibus Gallicis ſingulis menſibus habendis. Gaudet favore Magnatum & Nobiliſſ. DD. Curatorum. quinimò non ita pridem impetravit ut ſingulis ſeptimanis, non ut anteà ſexies, quater Theologiam, diebuſque feriatis Eccleſiaſticam Hiſtoriam, ſed quater tantum alternis vicibus Theologiam, alternis verò Hiſtorias docendas habeat, diebuſque feriatis ferietur. vix igitur credibile eò Spanhemium reſpexiſſe, niſi ingratiſſimum ſe prædicare voluiſſet.

Aliò igitur oculos retuliſſe Spanhemium oportet, innuitque fortaſſe contumelias injuriaſve in famoſis libellis ipſi impoſitas; aut convitia nonnunquam ipſi à malè feriatis quibuſdam juvenibus dicta: fortè & tyrannidem ipſi non fruſtra in anonymis quibuſdam ſcriptis imputatam. Vah quanta martyria! Spanhemii Fratres ſi non & ipſe fatis functo atque ad meliora evocato Coccejo ἑτεροδοξίας & hæretici famam inurere conati ſunt. Acerbiora certè fata lugent Ven. D. Heydanus,

D. Wittichius, D. Burmannus, D. Cranen, D[r]. vander Linden, D. Swartenhengſt, atque altiores plagas accepere, quibus auctoribus atque proxenetis ipſe novit Spanhemius & ex parte ſupra viſum eſt. Spanhemii verò paſſiones, ſi quæ ſint, verbis terminantur, quæ nec crumenæ nec corpori nocent; & ſi quo modo præpoſtero imperandi ſtudio nimiaque vel inhumana auſteritate propriam famam læſerit, poterit ingenuo nec fucato amore, comitate atque humanitate omnia emendare atque è comtemptibus exire.

Libellos famoſos tumultuſque Academicos exoſi Fratres ex animo deteſtantur, magiſque à talibus abhorrent quam fortè ipſe D. Spanhemius, quem jam didiciſſe iſtius generis chartas contemnere,ſperant. Atque eo magis vellent à talibus abſtineri, quod alienandis ab invicem Fratrum voluntatibus atque animis, non ſic ut par erat conjunctis, apta nata ſint atque unicè inſerviant. Verùm eſt, malè audit Cl. D. Spanhemius à pleriſque ſtudioſorum.

roga-

rogaverit vero quiſquam quæ tantarum irarum ſit cauſa; regerunt illico, triſti ſeveritate in vultu, torvo lumine, ingenio ſævo, inhumano atque inquieto, iracundia, avaritia, ſuperbia, ambitione, πολυπραγμοσύνῃ, injuriiſque his illiſve illatis hanc indignationem promeruiſſe, adeoque ipſum D. Spanhemium hujus fortunæ omniſque univerſim odii eſſe fabrum. quæ, quo jure quave injuria dicantur non inquiro, hanc litem minimè facturus meam. Sufficiat narraſſe quæ dicuntur, quemadmodum & D. Spanhemius in Epiſtola, *facta tantum narrat*; atque obſervaſſe hujus odii cauſas non eſſe controverſias illas, quibus D. Spanhemius eas imputatas vellet.

In eo D. Spanhemius multus eſt, ut demonſtret diſſidia hæc Eccleſiaſtica in Belgio jam ante annum CIϽ IϽ CLXXII. fuiſſe orta, neque illi Anno originem debere, atque inibi tanquam ſycophanta miſerè vapulat Gelaſius Major, quem id aſſeruiſſe conatur Lectori ſuo perſuadere. Verùm, nec Gelaſius, nec Timotheus,

nec ullus dictorum Novatorum initium dissidiorum & controversiarum in Belgio exordiuntur ab Anno CIↃ IↃ CLXXII. Qui de illis quæ post eum annum gesta sunt loquuntur atque inde malorum originem repetunt, non tam ad ipsas controversias earumque originem, quam ad illas ipsas mirum quantùm multiplicatas, ad furiosas vociferationes ingeminatosque clamores de schismate faciundo, fratribus extrudentis, Hagare pellenda spectant. Istiusmodi consilia, mediaque illuc tendentia ab illo tempore prodierunt, atque aures percusserunt feralia istiusmodi carmina indies magis magisque; nec sine Deo hactenus frustra fuerunt. Nec mirum cuiquam videatur si isthoc strepitu excitati sint quam plurimi, pro pace Hierosolymæ & Egregiorum virorum fama vigilaturi.

Quæ de Cartesio, Coccejo, Wittichio disserit, Aliorum erit examinare. Gratiæ debentur Spanhemio, quod occasionem Viris doctis dederit veram dissidiorum rixarumque historiam texendi, & quid Coccejo,

cejo, quid Wittichio, quid Cartesio factum fuerit, quid Callero creatum molestiæ, penitiùs enodandi atque explicandi, quo occulta & dispersa hactenus quam plurima retegentur.

Ast, Siccine D. Spanhemi soles amicos? laudas venerandum D. Heydanum, laudas D. Coccejum, laudas D. Wittichium, & dum vis videri laudasse quicquid in eos jactari poterat probri, ipsis infers, atque omnia illa quæ in ipsos ullo unquam tempore dicta fuere, effutis artificiosissimè: quæ autem dici non potuere, callidè fingis, ut invidiam ipsis crees.

Narraturus historiam Decreti Ampliss. DD. Curatorum, quo viginti Articuli proscribebantur, incalescit plus satis D. Spanhemius; & quicquid ipsi fuit virium intendit ad probandum effata summorum virorum huic Decreto occasionem dedisse. quasi verò DD. Curatores istis Defensoribus egerent. Extricavit autem Ven. D. Heydanus hanc materiam tam solidè in doctissimis illis suis Considerationibus,

ut ipſe Spanhemius nihil habeat quod iis reponere vel audeat vel poſſit. Argumentis agit Vener. Senex, & non lenociniis verborum. Verùm ſi quid conjectura aſſequi potis ſim, crediderim Spanhemium ejuſque Fratres egerrimè tuliſſe applauſum, quo in Belgio receptum fuit id ſcriptum, nec ferendo fuiſſe laudes in Carteſium, Coccejum, & Wittichium collatas. Convictos autem de multo paſſim plurimoque fructu quem conſecutæ ſunt illæ Conſiderationes atque edunt quotidie, ſuſpicor judicaſſe Spanhemii Fratres, è re ſuâ fore, ſi Spanhemio auctore vel controverſiæ illæ tractarentur, à quo labore D. Spanhemius non immeritò abhorret, vel ſaltem hiſtoria quædam ab omnis generis hominibus legenda, ederetur, quæ multis verborum phaleris decora ea ſolummodo eſſet dictura, quæ dictos Novatores urere, eoſque in Magnatum odium adducere apta nata eſſent, adeóque Carteſium, Coccejum, Wittichium atro carbone notandos judicâſſe. Tantum conjectura hæc eſt, fateor. gaudebo tamen, ſi

hic,

hic, ut ſcholæ loquuntur, non fuerit finis operantis: nemo autem mihi perſuadeat hunc finem hujus operis non eſſe.

Qui Hiſtorias ſcribunt ut decet, res geſtas quemadmodum geſtæ ſunt, narrant, nihil de ſuo addunt, nihil detrahunt vel cautè diſſimulant, nihil importuna exaſperatione vel exoſa emollitione invertunt. Sed, præfractè ac jurato quaſi contraria omnia agit Spanhemius; nec rectè de horum malorum origine, nec recte de cauſis, pejus autem de rebus geſtis, & peſſimè de remediis ſcribit.

Veram originem progreſſumque hujus mali perſequatur aliquis, ſi ab æmulationibus quæ Academias inter Trajectenſem ad Rhenum & Lugduno Batavam fuerunt perpetuæ, tanquam fonte derivanda ſtatuerit. Ab ipſis incunabulis in illa diverſa prorſus methodo ſtudia inſtituebantur, ac in iſta conſueverant. Trajectini Ductore Celeberr. D. Voetio præcipuam practicæ theologiæ operam navabant; addiſcebatur paſſim plurimumque lingua Anglicana præ Hebræa & Græca; verte-

bantur in linguam vernaculam Autores Angli, nectebantur & ſolvebantur Conſcientiæ Caſus; recitabantur Conciones promiſcuè, omni remoto delectu ac diſcrimine, nihil referebat an Epiſcopales, an Presbyterianos an Independentes haberent Auctores: ſtudia Academica trienni ſpatio abſolvebantur. Tales concionatores in ſuggeſtus paſſim protrudebantur. Conſiſtoria, Claſſes, Eccleſiæ iſtiuſmodi diſcipulis replebantur. Æmulatio lites peperit & contentiones fovit. neque illæ intra privatos parietes manſerunt. Quæſtiones motæ de Coma, Canonicis, Fœnore trapezitico, Sabbato, eæque agitatæ non tantum inter Profeſſores, ſed & inter Paſtores Miniſtros Eccleſiæ, coram populo, in conſiſtoriis, claſſibus, Synodis, Ampliſſ. & Nobiliſſ. DD. Ordinum comitiis. Atque ut non rarò fieri conſuevit, prout lis litem generat, multiplicatæ contentiones. Auditores præceptorum placitis addictiores magis quam par erat in partes ire, earumque ſtudio ſegreges facti mutuo vix frui amore, ſugillare & mor-

mordere ſe invicem, quæ placerent his, diſplicere illis.

Eos, qui ſe Trajectinis opponebant habebat illorum temporum Magiſtratuum favor, quod per Lugdunenſium poſitiones opinioneſque illæſa magis conſervari videbatur Authoritas publica. Diſplicuere Magiſtratibus mores illorum, qui ſeu in Synodis votis inferiores, ſeu cohibiti à Politicâ Majeſtate in quæſtionibus de Canonicis, & fœnore Trapezitico aliiſque Rempub. ſpectantibus, cauſas illas de ſuggeſtu coram plebe non ſine applauſu, (perperam enim non rarò judicat affectibus occupatum vulgus) cum fervore viriumque intenſione diſceptabant acerrimè: nec tantum de iis quæ inter ipſos eſſent controverſa pro concionibus diſceptare, ſed & publicum regimen Magiſtratuumque acta ſugillare, factam cum hoſtibus pacem, pacta cum aliis fœdera indignari publicè non verebantur. Atque hinc poſtea factum, ut præcipuarum quarundam Urbium in Hollandiâ Magiſtratus, hoc ſidere afflatos Paſtores à conſiſtoriis non-

nonnunquam nominatos atque electos reprobarint: cujus rei invidiam in immerentes Novatores scil. conferre studet Spanhemius. ast, ipse sibi turdus cacavit malum.

Celebris erat per integrum Belgium per aliquot annos quæstio de Sabbato, nec leviter animos turbabat; & revera de rebus non de verbis hic disputabatur, agebatur de præcepto Dei, & quidem primæ tabulæ, neque logomachia illa fuit, sed statu quæstionis ritè posito alter asseruit, alter negavit. Narrant, ex Celeberr. Voeti ore ferales has voces haustas fuisse, *quæstio hæc de Sabbato non poterit nisi per schisma decidi*, quæ si vera sint, explicata atque in promptu est origo mali & frustra alibi quæritur hujus calamitatis radix, qua præsto est. Eadem enim forte & hodiè Discipulis stat sententia, quæ quondam Præceptori.

Sed, quare D. Spanhemius de quæstione de Sabbato ortisque pro ea controversiis tam pauca, ut studio videatur de ea tacuisse? Nihil ipsi frequentius, inquies, quam

quam ea omnia quæ ipſum non juvant vel inſtituto ipſius ſunt adverſa diſſimulando negligere. Sic ſicco citoque pede quaſi ſcopulos prætervecta ipſius oratio bella inter Celeberr. D. Voetium & Clariſſ. Mareſium Alioſque tacet. Fateor, frequentiſſimum eſſe Clariſſ. Spanhemio præcipuas hiſtoriæ partes intactas negligere, ſed aliam tamen cauſam latere ſuſpicor, quare haſce rixas diſſimulet. Quantum ad quæſtionem de Sabbato, ſtat à partibus Calvini, cujus ſententiam amplexi ſunt ii, qui hodiè Novatores audiunt atque ob illam vapulant. Maluit igitur de illa ſilere, quam ingrata narratione Fratribus ſuis moleſtus eſſe. Idque ſi præſtitiſſet tacito indicio nec prolocuta confeſſione patefactum fuiſſet, exoſos Fratres non ſemper accuſari merito ſuo.

Diſſentientium itaque in graviſſima cauſa nec levi argumento Theologorum animi exacuebantur in bella; nec mitigabant voluntatum acerbitatem convitia, obtrectationes, injuriæ. hinc odia, rixæ & tantum non ſchiſma: impedientibus

bus id publica auctoritate Ordinibus, doctissimisque scriptis calida concitatissimorum hominum consilia confringentibus, moderatisque consiliis perniciosis illis conatibus obviam euntibus D D. Abr. Heydano, Joh. Coccejo, Aliisque; huic etiam calamitati medicinam quandoque facientibus Synodis Hollandiæ Australis.

Ast minimè ponebantur odia. latebant quidem illa & quadam ulciscendi difficultate tenebantur, & quæ vetustate sedata credidisses, inveterata mitti nec finiri potuerunt. expectabatur tantum occasio & captanda quædam oportunitas novo impetu atque intensiore vi bellum sumendi. At quæ causæ motibusque species? misera quidem illa & flebilis. Traduntur Philosophemata Cartesii, leguntur scripta Coccejі, ad examen revocantur, sunt quam plurimi qui ea putant esse aliquid, magni fiunt à Doctis, volitant illi per ora Virorum. Vera hæc quidem; ast errat multumque fallitur qui hinc repetendas calamitatum nostrarum origines & supputanda rixarum semina autumat. Alia majorisque momenti

ti erant non nulla, ob quæ Spanhemius ejusque Fratres dissidebant ab aliis, quos tamen Fratrum loco habuisse debuissent. Libertatem spirabant hi, & servitutem ferre nescii læsuro papaturientium Fratrum jugo colla subtrahebant. hoc crimen est, hinc illæ lachrymæ. Spirabant autem illi tyrannidem, atque huic dominationis spei quum esset litandum, ea ex Magnorum Virorum scriptis collegerunt & corraserunt, quæ detorta & mutilata gravissimæ accusationis argumentum & diræ admodum delationis materiam essent suppeditatura. Experturi an Procerum Plebisque animos ad odium accusatorum Fratrum renovare & revocare possent. Hinc de periculosis Novitatibus clamores, hinc de Atheismo, Scepticismo, Socinianismo, Nestorianismo, Pelagianismo, Chiliasmo accusationes; quorum criminum singula, si jus reddat prætor, deportationem reorum, seu Professorum seu Ministrorum Ecclesiæ, mereantur.

Hoc modo accusati Cartesii Coccejique quondam Auditores, quique eorum scripta

ſcripta magni faciebant, obviam ire accuſatoribus, calumniam contundere, criminaque hæc Orthodoxæ omninò Theologiæ & ſcripturariæ, atque innoxiæ Philoſophiæ illata diſſolvere atque eluere, hoc quidem cum ſucceſſu, ut brevi temporis ſpatio plerique viri Docti & Pacifici veritati illuſtratæ manum dederint & etiamnum dent, ringentibus fruſtra Spanhemii Fratribus.

Incenditur interea Patria funeſtiſſimo Gallico, Anglicano & Monaſterienſi bello, & Terræ motum terribilem, horreſco referens experitur Anno CIↃ IↃ CLXXII. ubique tumultus populares, Magiſtratus pelluntur, alia prorſus Reipub. redit facies. Tandem votis civium omniumque bonorum, Illuſtriſſimum Arauſionenſium Principem (vivat diu ad gloriam Dei & Eccleſiæ bonum Reipub. decus!) ad dignitates Avorum evectum optantium, fit ſatis. Jactant Spanhemii fratres, ſuum amorem non leve Principis cauſæ attuliſſe pondus, ſtetiſſe Novatores à partibus Loeveſteinianorum. Egregiè callidiſſiméque

que commentatam fabulam ! ſibi Eccleſiam & Verbi Dei explicationem concreditam exiſtimant viri minimè turbulentam, aliis mandata gubernacula Rerumpublicarum credunt, didiceruntque non eſſe πολυπράγμονες. Hoc tamen titulo mirum quantum ferocire Spanhemii Fratres. protinus

Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus, & vaſtos tollunt ad ſidera fluctus.

Prodit *Tractatus Mareſii de Afflicto ſtatu ſtudii Theologici in Belgio*, in linguam Belgicam vertitur, expunctis tamen illis quæ de ſuis cum aliis Theologis in Belgio controverſiis monuerat Mareſius, quas & hic D. Spanhemii prudentia intactas voluit. lucem aſpicit ſcriptum belgicum, **'t Bericht van Coccejaenſche en Carteſiaenſche Niewigheden** / *admonitio de Novitatibus Coccejanis & Carteſianis*; eriſtica ſcripta D. van Rijſſen, Diſputationes extraordinariæ Hulſii, & quod eſt hujus farinæ amplius. In his accuſantur & traducuntur Coccejus, Wittichius, Academia Lug-

duno Batava, Professores Pastoresque Cocceji Cartesiique meditationibus addictiores, tamquam fanatici, hæretici aut hæresibus affines, quintæ monarchiæ fautores, Ecclesiæ turbones, hostes Illustrissimi Principis. His, multisque precibus, argumentis, fallaciis sollicitantur Procerum animi ad coërcendos Novatores, imò ad pellendam Hagarem tam Theologicam quam Philosophicam incitantur. Eædem criminationes, eadem fulmina & tonitrua eadem convitia audiebantur in Zelandia & alibi, iidem clamores populi aures non sine commotione de suggestu undique feriebant.

An his visis, talibus perpessis silere potuerunt Viri omnium Ordinum Pacifici, nemini molesti? hoc ne æquum justumque fuisset? loquela potius lapidibus extorta fuisset. Scribunt itaque & illi; sed eo ipso accusantur turbarum, quasi maledictum ab ipsis & non responsum fuisset, criminique ducitur justa defensio.

Hæc omnia vix primoribus digitis at-

tingit Spanhemius. Machinas à classe Goesana contra Wittichium adhibitas quibus non artibus conatur excusare? Ast quis in illorum gestis conspiciatur ordo? quid justi? quod vel minum charitatis vel studii veritatis vestigium? Classicaliter condemnant inauditum, atque insonti stigma novitatis atque ἑτεροδοξίας inurunt. Cæteras Zelandiæ Classes in quibus plurimi Trajectina methodo imbuti latebant, per literas idem ut audeant hortantur. Ad cæteras Belgii Synodos, quibuscum nihil aliàs ipsis Correspondentiæ, (sit venia verbo) epistolas quibus & illæ in D. Wittichium instigarentur, decernunt, & vix ab Ordinibus Zelandiæ hoc in molimine cohibentur, & à Timotheo Verino, succumbente D. Barenzonio frustra de sententia Cl. Wittichii admonentur. Transisalanos nihilominus privatâ ad privatum epistola eo usque adduxerunt & permoverunt, ut Transisalanæ Synodi Actis, Classis Goesanæ acta insererentur. Hinc nova molimina. Proximo ab isthoc anno Synodus Hollandiæ Borealis Woerdam

cogenda erat. Correſpondens Tranſiſalanus quid in Tranſiſalana Synodo actum eſſet narrare atque eandem in Hollandiæ Synodo controverſiam movere conatur. Nobiliſſ. Ordinum ad Synodum Deputatus non ignarus qua arte illa omnia gererentur, certuſque turbas quæri, publicam auctoritatem huic audaciæ interponens, Correſpondenti ſilentium imperavit, finemque omni de hoc negotio deliberationi fecit. Adeoque inibi hi doli, hæ machinæ atque præſtigiæ nihil ipſis profuerunt, actæque ſunt Nobiliſſ. D. Deputato ab Ampliſſ. & Nobiliſſ. DD. Ordinibus Hollandiæ hoc nomine gratiæ, atque ipſi Tranſiſalani Fratres poſtea ab inceptis deſtiterunt. Quid erubeſcis D. Spanhemi? an non hæc digna erant quæ Amico narrarentur? Sed exſequamur cœptum propoſiti ordinem.

Tacet quibus artibus decretum Enchuſanæ Synodi Anno CIↃ IↃ CLXXII. Fratres Spanhemii impetrarint. Gelaſius hanc prout geſta eſt, narrat hiſtoriam. Tu tamen D. Spanhemi, qui illum legiſti

gisti illorum aspectu obmutescis.

Tacet nobiles illos decem Articulos in Edamensi Synodo ab ipsius Fratribus cusos, plerosque tam crudos, ut ipsæ Borealis Hollandiæ Classes in sequenti Alcmarianâ Synodo, eos emendare atque emollire necessum putaverint. Obtrudebantur scil. illi articuli ut via pacis, atque ut tales à Classibus in Australi Hollandia tandem fuere receptæ.

Videbatur itaque in illa Hollandiæ parte res composita, restabant Australis Hollandiæ Classes undecim: ad quas per ordinarios Synodi Deputatos Auctoritate publica decem illi articuli mittuntur eo fine, ut omnia singularum Classium membra illos examinarent atque expenderent, &, si salvâ fide & conscientiâ illæsâ fieri posset, pacis gratia eos amplecterentur, quò sic pari passu incederent cum Fratribus Hollandiæ Borealis Ecclesiarum Ministris.

Summa votorum Classium Australis Hollandiæ ad Synodum Leerdamensem delatorum Anno CIↃ IↃ CLXXV. hæc

 fuit.

fuit. Amplecti se pacis promovendæ ergo decem illos articulos, stipulatâ tamen de non adducendis imposterum fratribus ὁμοψήφοις in suspicionem ἑτεροδοξίας quadam lege. Quæ & stipulatio in clausulæ modum declarationi Classium subnectebatur, Actisque Synodi inserebatur Legis instar habenda. Neque tamen huc usque à Synodis Borealis Hollandiæ (licet tantum sex in ea sint Classes) impetrari potuit, ut & inibi clausula hæc reciperetur: salvâ tamen pace cum Australis Hollandiæ Synodo, Ut ex actis Borealis Hollandiæ Synodi, Anno CIↃ IↃ CLXXV. & CIↃ IↃ CLXXVI. liquet.

In Dordracena Synodo Anni CIↃ IↃ CLXXVI. eadem pacis formula fuit repetita, confirmata, Classibusque intensissimè commendata.

Consentiunt itaque Australis Hollandiæ Classes in vias pacis, declarant se nullos Pastores ex suis nosse, qui Novatores audire mereantur, asserunt confirmantque se formulis consensus adhærere strictissimè, neminemque nosse qui ab

illis

illis diſcedat. Jubent pacem coli, charitatique ſtudere omnes volunt: vetant ullum novationis convitium fieri illis, qui formulis conſenſus adhærent. Sic ibi transactum hactenus pacificè.

Quantum ab his diverſi ſunt Spanhemius ejuſque Fratres? Claſſes Auſtralis Hollandiæ negant inter ipſos eſſe qui ab orthodoxia deficiant. Fratres Spanhemii vociferantur plures inter ipſos eſſe ἑτεροδόξους perniciosæ doctrinæ reos. Claſſes Novatores ignorant taleſque in illa Hollandiæ parte reperiri negant, nomen autem Novatorum ut contumelioſum exulare jubent; Fratres verò Spanhemii indies magis magiſque & quaſi revocatis viribus in accuſationem Fratrum coëunt, eoſque novitatis reos agunt. Claſſes declarant nullum ſuorum membrorum à formulis conſenſus receſſiſſe iiſve nuntium miſiſſe; Spanhemius omnes has aſſertiones & obteſtationes nihili facit, atque odioſa nec non inſolenti hac cum Remonſtrantium geſtis comparatione perfidiæ & hypocriſeos ſuſpicionem in fratres jacere

non erubeſcit. Claſſes ad pacem cohortantur; eam habent, colunt; Spanhemii Fratres bella crepant, lites rixaſque exaggerant. Claſſes tolerantiam Fratribus commendant in illis quæ necdum in formulis conſenſus ſunt determinata, qualis certè laude nunquam caruit; Spanhemius unicum *ſilentii* remedium præſcribit, & quidem tale, quod ſolis Spanhemii Antagoniſtis eſſet imponendum. Egregiam quidem pacis legem! ſilere ut velis ubi Deus loquitur & te loqui jubet, idque in gratiam contradicentium. Hanc certè ſi potuiſſent conditionem amplecti qui Novatores audiunt, non fuiſſet diſputatum tam diu.

Optas pacem Spanhemi, concordiam commendas, monumentum poſteritati fieri vis τῆς τῶν ἀδελφῶν ὁμονοίας, nec hoc quidem malè. Sed, habuiſſemus pacem, niſi D. Hulſius quietem expuliſſet: imò habemus pacem, ſi Fratres tui Decretis Synodorum Leerdamenſis & Dordracenæ parere velint; nos illas pacis leges amplectimur, probamus, ſequimur, reveremur.

Quid

Quid ni idem faciunt Fratres Tui, quid ni desinis res nefarias de Fratribus pessimè suspicari? hoc præsta id faciant Illi eritque lis omnis composita, jungemus dexteras, mutuoque fruemur amore.

Ast, hæc omnia, quasi facta non essent, Spanhemi, dissimulas. hæccine prisca fides est, & simplicitas Tanto Theologo digna?

Refert porro, quid Helvetii, quid Germani, quid Galli, quid Docti quidam viri judicaverint de Theologia D. Cocceji, quid de Philosophia Cartesii statuerint. Verùm, quid hæc omnia ad rem faciunt? nos rationem redduturi non sumus ejus, quid docuerimus ex hujus vel illius sententia, probatum ab hoc rejectum ab illo: sed, quid ex Verbo Dei servata bona conscientia tradiderimus Auditoribus nostris. Ponamus, Omnes ubique & Academias & Eruditos se Coccejo & Cartesio opposuisse, atque ab iis omnes Virorum horum meditationes damnatas, an inde concludere erit Theologiam hanc & Philosophiam esse falsam, erroneam & periculo-

 sam?

ſam? neutiquam. hoc enim ſi procederet argumentum, pari ratione Reformationem per Lutherum, Calvinum & alios factam optimo jure refutaſſe dicendi forent Pontificii, ut nos Sleydani aliorumque hiſtoriæ docent. Totus mundus oppoſuit ſe Euangelio. nec deſinit eò Euangelium eſſe ipſiſſimum Verbum Dei. Non comparo Cocceji Meditationes vel Carteſii cogitata, Verba hominum, cum Euangelio, quod foret impium. abſit hoc! ſed invicto argumento demonſtro, tales relationes comparationeſve nullum poſſe creare præjudicium optimæ cauſæ.

Præterea, narrat quædam quæ facta ſunt & proſtant publicè, ſed non narrat, quibus prenſationibus, epiſtolis, artificiis impetrata ſint, quæ recenſet decreta. ſed & narrat quæ nunquam facta ſunt. pag. 99. narrat *cauſas & rationes D. Wittichii cum Geldris, Ultrajectinis, Zelandis, Tranſiſalanis, Friſiis.* Cum Geldris diſputare neceſſum habuit *de motu terræ*, iiſque ſatisfecit, ut teſtantur acta publica. nihil igitur eſt, cur hæc recenſeri hic debuerint, niſi id neceſſum

cessum fuerit ad augendam invidiam. Quid Transisalani egerint dictum superiùs est, certè eos ipsorum spes est frustrata. Insula Goesana omnem Zelandiam non absolvit. De Ultrajectinis & Frisiis nihil in Actis reperitur.

Narrat & quæ antè aliquot annos in Helvetia acta sunt. Sed non narrat, mutatam jam ibi prorsus rerum faciem. Plerosque in Helvetia & Reformatis Germaniæ Academiis Professores Meditationes Cocceji & Philosophemata Cartesii maximi facere. Itaque refert non quæ jam fiunt, sed quæ facta sunt & fuerunt, adeoque dissimulat quæ ipsum non juvant, hâc opinor fiduciâ, paucissimis quænam in Helvetia hodiè doceantur, innotuisse, idque plurimos latere. Epistolas familiares Theologorum citat. Quid autem juvat prodere secreta? optimo consilio tacet quomodo aliquando epistolam Clariss. D. Heydano inscriptam alteri ad ipsum missæ inclusam, non dicam reseraverit avidus cognoscendi quid in ea scriptum esset. nam id casui imputari posset, sed

rese-

reſeratam legerit , quædam de ipſo ſcripta ſubductis lineis conſpicua præ cæteris eſſe voluerit , reſeratamque & hunc in modum illuſtratam Ven. D. Heydano tradere auſus fuerit. Quo nomine ipſi gratias actas nemo crediderit.

Atque hæc quidem hactenus ſufficiat obſervaſſe. Clarum erit ex illis minimùm, quod

Nil dignum tanto tulit hic promiſſor hiatu.

Plura procul dubio dabunt illi quibus coràm inſultat. Apage ſermonum flores & verborum lenocinia aculeos tegentia. hebetantur illis oculi , & lumini obducuntur tenebræ , atque ad hoc ſunt unicè comparata. Quanto melius autem nobiſcum ageretur , ſi non foret neceſſum in tali ſcriptorum genere occupari ! Utinam homines illi quæ reſtinguendo huic incendio facere apta nata ſunt , depoſitis odiis afferrent ? Oremus autem Deum ut domet corda ipſorum , ſervet Eccleſiam , reddatque Hieroſolymæ pacem !

F I N I S.

DE

NUPERA

D. FRIDERICI SPANHEMII F.

EPISTOLA

AD

AMICUM,


Quâ exhibet novissima circa res Sacras in Belgio dissidia,

AMICI

ad

AMICUM

EPISTOLIUM.



M. DC. LXXVI.